

ut sciatur ad quem fera pertineat. Pertinet enim ad venatorem qui jam eam moraliter occupasse censetur, licet adhuc neque apprehenderit, neque occiderit.

515. — *R. ad 3^m Quæst.* Fera est ATTILII, venatoris, quippe qui occidendo fecit suam, licet arripuerit modo illicito, seu absque venia domini agri. Proinde dominus injuste egit, prædam sibi tribuendo et manducando; non enim erat fructus agri. Ergo ad restitutionem tenetur. Licentia ejus requirebatur quidem, sed eam concedere tenebatur. Si tamen damnum aliquod ab ATTILIO latum fuerit in agro CAII, hic indemnitate exigere potuit.

CASUS IX.

DE RE INVENTA 1^o.

FELIX, iter faciendo, crumenam auro refertam in media via reperit. Inquisito diligenter quidem, sed frustra, domino, felici casu gaudens, putat rem fieri nullius, et proinde sui esse, utpote *primi occupantis*. Verum, cum, aliquo scrupulo motus, rem Confessario patefecisset, ab eodem obligatur sub gravi ad eam pecuniam pauperibus distribuendam. Paulo post, cum aliam invenisset pecuniam, eam in media via reliquit, ut omnem effugeret obligationem; sed non effugit seriam Confessarii objurgationem, ex eo quod graviter caritati defuerit.

HINC :

- QUER. 1^o *An inventor rei alicujus possit eam sibi servare, si dominus, diligenter et diu inquisitus, non compareat? vel eam in pias causas impendere teneatur?*
 2^o *Quid de agendi ratione FELICIS et Confessarii?*
 3^o *Quid vero, si FELIX pecuniam repertam primum accepisset, et postea in eodem loco reposuisset?*

SOLUTIO :

516. — *R. ad 1^m Quæst.* Probabilius inventor rem sibi retinere potest, quia reapse res in iis circumstantiis pro derelicta habenda est. Dominus enim, licet absolute dominium illius non amiserit, moraliter tamen amisisse censetur, cum de ea neque uti, neque disponere ullo modo possit. *S. Lig. n. 603*, dicit hanc sententiam esse *veriozem*. Theologi tamen non pauci contendunt rem inventam, in eo casu, in causas pias impendendam esse. *V. Comp. n. 578*.

517. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o FELIX non damnandus est ex eo quod rem prius inventam servaverit. Sequitur ex dictis. Ergo Confessarius qui eum sub gravi obligavit ad rem pauperibus erogandam, ipse damnandus est. Debuisset enim pium illud opus suadere tantum, non vero sub peccato, præsertim gravi, præscribere. 2^o FELIX male fecit, rem in secundo casu inventam in media via relinquendo; debuisset ex caritate eam colligere pro domino, si forte inveniri posset. Etenim ex principio generali caritatis tenemur damnum proximi notabile impedire, cum id facile præstare possu-

mus. Non peccavit quidem contra justitiam, hanc pecuniam in media via relinquendo, siquidem nullo speciali officio, nullove contractu, ad eam colligendam tenebatur; sed peccavit contra caritatem, non avertendo damnum proximi, quod facile impedire poterat. Ergo merito a Confessario objurgatus est. An autem reus peccati gravis evaserit? Hoc ex solis circumstantiis colligendum est. Sed generatim dici potest talem omissionem gravem esse, si res inventa sit magni pretii, et adfuerit magna probabilitas dominum detegendi.

518. — *R. ad 3^m Quæst.* In hac hypothese FELIX peccasset etiam contra justitiam, quia rem alienam in loco tuto jam existentem, periculo exposuisset, perinde ac ille qui pannum ab incendio a se ereptum, in ignem projiceret. *Elbel, n. 172*. — Præterea, rem alienam colligendo, suscipit obligationem ex justitia eam domino restituendi, si possit.

CASUS X.

DE RE INVENTA 2^o.

BARBARA, cauponis famula, tabernam verrendo, tres aureos papyro involutos reperit. Primum obstupescere illa atque mirari! Quid est hoc, ait? O miram Dei providentiam! Verum, re paululum perpensa, subsequitur animi perplexitas... Cujus sint aurei prorsus ignorat, quia hac die adfuit magnus hospitem peregrinorum concursus. Quid igitur de pecunia faciendum? Urgente conscientia, satagit ut ejus dominum detegat, sed absque successu. Cum autem aureos diu detinuisset, domino non comparante, statuit eos sibi servare. Attamen, errandi formidine pressa, rem duobus subjicit Sacerdotibus. Prior dicit pecuniam domino domus distribuendam esse. Alter opinatur eam pauperibus necessario distribuendam esse. Igitur BARBARA anxia remanet.

HINC :

- QUER. 1^o *An pecunia sit domino domus tribuenda?*
 2^o *An pauperibus distribuenda, vel utrum ab ancilla ad usum proprium servari possit?*
 3^o *Quid faciendum BARBARÆ, si, ex jussu vel consilio Confessarii, pecuniam in causas pias impenderit, et dominus ex insperato casu appareat?*

SOLUTIO :

519. — *R. ad 1^m Quæst.* BARBARA minime tenetur pecuniam a se inventam domino tabernæ tribuere, quia hic nullum jus in eam habere potest. Etenim ex omnibus adjunctis constat eam pecuniam non ab ipso fuisse amissam, sed ab aliquo hospite extraneo. Ergo nullum jus habet in illam, ne pro parte quidem, cum neque sit thesaurus, neque fructus fundi.

520. — *R. ad 2^m Quæst.* BARBARA non tenetur pecuniam a se inventam impendere in causas pias, licet melius faciat si eam sic expendat, et ad id hortanda sit. Ratio patet ex dictis in responsione ad casum præcedentem.

Etenim, domino diligenter et diu inquisito, nec comparente, res habenda est ut derelicta, et proinde fit primi occupantis, seu inventoris. Pauperes, sive aliæ causæ piæ nullum jus habent ad illam pecuniam, neque existit ulla lex obligans ad eam ipsis erogandam, neque si ita fiat compensatur damnum quod dominus incognitus patitur. Ergo BARBARA tres aureos a se inventos retinere potest. *Elbel, de Rest. n. 307.*

521. — *R. ad 3^m Quæst.* Si BARBARA pecuniam in piæ causas impenderit, quando nulla spes remanet dominum detegendi, et dominus ante tempus præscriptionis appareat, nulla ei facienda est restitutio, quoties res minutatim fuit distributa, vel expensa quin locus pius ditior evaserit, *juxta omnes.* Imo idem dicunt non pauci, etiamsi pecunia uni pauperi, vel uni causæ piæ erogata fuerit, quia translatum est rei dominium. Secus vero, si spes dominum inveniendi non abfuerit; ei enim comparenti restituenda est.

De his sic *S. Lig. n. 590*: « Quando, spectatis omnibus circumstantiis, non est amplius possibile quod dominus inveniatur, tunc pauper acquirit absolute rei dominium, sine ullo onere restitutionis. Quando, post diligentiam, adest aliqua spes inveniendi dominum rei, tunc pauper non acquirit ejus dominium, et proinde debet eam domino servare, ipsique restituere, si compareat. » *Ita etiam Lugo, D. 21, n. 102. — V. Comp. n. 579.*

CASUS XI.

DE RE INVENTA 3^o.*Thesaurus.*

FELICIANUS, cæmentarius, dum jussu heri pervetustæ domus parietes dejecisset, inopinato casu, sub pavimento reperit magnum auri et argenti pondus. Primo quidem aspectu obstupefactus, paulo post totus exhilaratus, omnem pecuniam festinanter colligit. Sed infeliciter visus est a JANUARIO, alio operario, qui haud procul adstabat. Hic primum dimidiam partem pecuniæ inventæ postulat, ut socius inventionis, quia eodem tempore, imo prius ad rem advertit; et renuente FELICIANO, rem manifestavit domino, qui ab inventore totam summam, utpote in proprio fundo repperit, repetiit. Inde lis ingens tibi dirimenda!

HINC :

QUÆR. 1^o An FELICIANUS teneatur medietatem pecuniæ hujus, socio tribuere?

2^o An vero potius totam summam domino domus tradere debeat, vel totam aut partem sibi retinere?

3^o Quid, si FELICIANUS totam pecuniam abstulisset, mala fide seu nesciens an jus aliquod in eam habere posset?

SOLUTIO :

522. — *R. ad 1^m Quæst.* FELICIANUS nihil prorsus dare tenetur alteri operario qui inventioni præsens fuit. Ratio est, quia nullo prorsus gaudet titulo ad partem rei inventæ repetendam. Testis enim inventionis non est

ipse inventor, etiamsi statim ac alter, imo prius rem inventam vidisset. Nam ad hoc ut quis dicatur rem quampiam invenisse, et inveniendo dominium acquisivisse, non sufficit quod rem prior viderit, sed requiritur ut prior eam apprehenderit. Ergo injuste reclamatur partem pecuniæ inventæ ille alter operarius, cum eam minime tetigerit; ergo FELICIANUS, verus inventor, nihil ei dare tenetur. *Elbel, n. 179.*

523. — *R. ad 2^m Quæst.* FELICIANUS neque totam pecuniam hero suo dare debet, neque ipse totam sibi retinere potest. Ratio est, quia pecunia ista veram rationem thesauri habet, non vero rei amissæ simpliciter. Agitur enim in casu de summa pecuniæ absconditæ cujus memoria non exstat, seu cujus dominus prorsus ignoratur, neque detegi potest. Porro lex civilis dimidiam partem thesauri in fundo alterius detecti, tribuit domino fundi, et alteram dimidiam partem inventori concedit. Ergo FELICIANUS pecuniam cum domino domus dividere debet.

524. — *R. ad 3^m Quæst.* In hac hypothesi peccasset quidem graviter FELICIANUS, tum propter malam fidem, tum quia totam summam abstulisset; sed nihilominus medietatem illius retinere posset. Ratio est, quia dominium vel proprietas thesauri non pendet ab æstimatione privati hominis, sive erronea, sive etiam probabili, sed ex sola juris dispositione. Ergo, cum jura disposerint ut in tali casu medietas rei ad inventorem pertineat, hæc FELICIANO adjudicanda erit, licet peccaverit mala fide sibi tribuendo.

CASUS XII.

DE RE INVENTA 4^o.*Thesaurus.*

1^o GAUDENTIUS, cum audivisset olim thesaurum absconditum fuisse in certo prædio, illud pretio ordinario emit, terram effodit, et reapse ter quaterque beatus, thesaurum invenit, totumque sibi retinet.

2^o FAUSTUS, cum, felici eventu, thesaurum in alieno fundo detexisset, illo ibidem relicto, confestim fundum ipsum emit, ut integrum thesaurum sibi servare posset.

HINC :

QUÆR. 1^o An GAUDENTIUS injuste egerit prædium communi pretio emendo, licet præsumpserit, vel certe etiam noverit ibidem fuisse absconditum thesaurum?

2^o An FAUSTUS potuerit totum thesaurum sibi servare? et quid si de industria quæsierit thesaurum in alieno fundo, et invenerit? an partem servare possit?

SOLUTIO :

525. — *R. ad 1^m Quæst.* GAUDENTIUS integrum thesaurum servare potest, quia illum reapse in proprio fundo invenit. Neque tenetur pretium majus pro agro solvere, quia thesaurus fructus fundi reputandus non est. Nec obstat præsumptio, imo neque certitudo rei; hoc enim omnino per

accidens est, nullamque injuriam venditori facit. Sic pharmacopola non debet pluris solvere de feno a se empto, ex eo quod videat in eo esse herbas ad medicinam pretiosas. *Elbel*, n. 176. — *Billuart*. — *Lug. D. 6*, n. 126. — *S. Th. 2. 2. q. 66, a. 5.*

526. — *R. ad 2^m Quæ.* FAUSTUS dimidiam partem thesauri priori domino fundi dare debet; quia thesaurum invenit antequam fundum emeret, et proinde, statim ac rem detexit, illius medietatem retribuere debuit ei cujus tunc fundus erat. Si de industria thesaurum quæsierit in alieno fundo, de jure totum domino fundi tradere debet. Attamen, ait *S. Lig.*, lex illa pœnalis est, ad puniendam illicitam inquisitionem; quare inventor posset ante judicis sententiam dimidiam rei partem servare. *V. Comp. n. 575 et seq.* — *S. Lig. n. 602.*

CASUS XIII.

DE RE INVENTA 5^o.*Mordentes morsu.*

DONATILLA, puella paupercula, ex tenui labore victum diurnum sibi genitoribusque, ætate provecis, suppeditare conatur. Cum, die sabbati, accepta modica hebdomadæ mercede, domum alacriter rediret, facta jam nocte, infelici casu incidit in tres latrones, qui eam tota mercede, scuto æquivalenti, crudeliter spoliarunt. Illa autem efflagitavit ut saltem aliquantum sibi relinquerent, quo miseros parentes a fame restaurare aliquo modo posset. Ejus lacrymis commotus unus ex latronibus, numisma argenteum unius franci, ut tactu apparebat, de crumena depromptum, illi porrexit. Minori contenta malo, DONATILLA summa diligentia domum petivit, et infortunio narrato, quod supererat in medium protulit: cum ecce! non argenteus, ut dixit latro, sed aureus nummus, 20 argenteis, seu 5 scutis æquivalens.

HINC:

- QUÆR. 1^o *An DONATILLA, ignotis furibus, servare possit hanc pecuniam ex errore ei datam, vel eam dare pauperibus teneatur?*
 2^o *An furi reclamanti, vel cognito, restituere debeat?*
 3^o *Si detegatur aureum fuisse CAIO subtractum, an ei sit ex integro restituendum, vel possit puella retinere valorem pecuniæ, sibi subreptæ, vel etiam totum illum aureum sibi retinere?*
 4^o *Si quis monetam argenteam pro aureo commutasset, et detegeret aureum fuisse PETRO subreptum, an aureus ille esset PETRO restituendus?*

SOLUTIO:

527. — *R. ad 1^m Quæ.* DONATILLA, ignotis furibus, hanc pecuniam certo sibi retinere potest, utpote bonum derelictum. Nec proinde eam pauperibus erogare tenetur, juxta superius dicta. Insuper nonne ipsa pauper est et commiseratione digna?

R. ad 2^m Quæ. DONATILLA, etiam cognitis furibus, pecuniam integram servare potest. Ratio est: 1^o quia probabiliter pecunia hæc ad eos non pertinet; 2^o quia jus habet eos denunciandi, et proinde pecuniam retinendi ratione cessionis juris sui. Fures enim implicite et facile consentiunt, ne scilicet ad judicem deferantur, seu, pecuniam deserendo, a justa vexatione se redimant. Ergo præfata pecunia ut res derelicta habenda est.

528. — *R. ad 3^m Quæ.* Si ageretur de alia re præter pecuniam, DONATILLA eam, cognito domino, restituere deberet, et nec posset ex ea se indemnem facere, quia res in individuo existens *clamat ad dominum*. Sed cum agatur de pecunia, et in pecunia attendatur non ad speciem, sed ad valorem, puella, ut videtur, potest non tantum servare partem ad se indemnem faciendam, sed etiam integrum aureum retinere. Fures enim monetam hanc suscipiendo, et cum suis miscendo, eam ut talem suam fecerunt, et de valore tantum erga dominum spoliatum fuerunt obligati. Cæterum in praxi valde difficile foret probare talem pecuniæ speciem ad talem dominum pertinuisse; siquidem fures similes alias species habere poterunt.

529. — *R. ad 4^m Quæ.* Aureus non esset PETRO restituendus, quia fur monetam ut talem suam fecit per commixtionem cum monetis aliis quas habuit, et insuper, ut dictum est, quoad pecuniam ad solum valorem est attendendum. Ergo fur de solo valore tenebatur. Ergo PETRUS monetam reclamare nequit. Præterea, ut jam inuimus, valde difficile foret hujus monetæ identitatem probare.

CASUS XIV.

DE RE INVENTA 6^o.*Capiens captus.*

PROSPER, iter agens, infelicitur incidit in latronem, qui ab ipso aut crumenam aut vitam requisivit. Crumenam elegit tradendam, licet mœrens, viator. Verum, cum eam pene vacuam reperisset latro, ira accensus, ense districto, jubet PROSPERUM suam exuere vestem, quæ nova atque ex pretioso panno erat confecta, eamque cum propria suiipsius veste, vili et attrita, commutare. Mandato licet invitus obtemperat infelix PROSPER, et tristis domum repetit... Verum, o rem plane mirabilem! dum infelix miseram sortem uxori et filiis gemebundus narrat, laceratamque vestem propius intuetur et attrectat, ecce, inopinato eventu, trecentos aureos in ea insutos reperit. Ter quaterque beatus, gestit et exultat primum PROSPER; sed mox anxietate corripitur, nesciens utrum pecuniam hanc sibi servare liceat, vel quid de ea agendum sit?

HINC:

- QUÆR. 1^o *An PROSPER pecuniam in veste inventam servare possit, ignoto fure?*
 2^o *An, si fur detegi possit, hæc pecunia sit ipsi restituenda?*

SOLUTIO:

530. — *R. ad 1^m Quæ.* Felici sua sorte gaudeat PROSPER, et similes

alias occasiones exoptet. Absque dubio enim totam hanc pecuniam sibi servare potest titulo inventionis; siquidem inter bona derelicta prorsus habenda est. Pie quidem et enixe ei suadendum, ut partem hujus lucri in pauperes, vel in causas pias largiatur. Quod si faciat, adhuc beator erit, atque centuplum pro vita æterna merebitur. Si autem consilio non obtemperet, ab omni peccato immunis erit. Solutio ex dictis in antecessum de rebus inventis sponte fluit.

531. — *R. ad 2^m Quæst.* Neque tenetur pecuniam ipsi furi restituere, si forte postea cognoscatur. Res ex dictis in casu præcedenti liquet. Etenim fur pecuniam non reclamabit, ne ad judicem deferatur: ergo pecuniæ jacturam libentius subibit quam judicis pœnam; ergo hic et nunc pecuniam dimittit; ergo hæc pecunia instar bonorum derelictorum habenda est; ergo a PROSPERO servari potest. Deinde eam sibi suam facere fas est eo titulo, ut a fure denunciando absteineat. Denique, utrum ad furem pertineat minime constat. Ergo PROSPER inquietandus non est.

CASUS XV.

DE RE INVENTA 7^o.*Fures insigniter decepti.*

HORTENSIVS die quodam ex itinere placide revertebatur, insidens equo quem a RICARDO, amico suo, commodati titulo acceperat, cum, infausto casu, incidit in duos latrones, qui de more vitam aut crumenam ab eo requirunt. Ocius ille crumenam eligit tradendam. Sed cum fere vacua foret, latrones et equum ab eo auferunt, et aufugiunt. Gemebundus pedester revertitur ad RICARDUM, ut infortunium ei referat. Ast non adeo infelix exitus erat futurus. Etenim, cum latrones ingentem saccum nummis et aureis refertum, in perula ad collare equinum pendula, reposuissent, ut tanto pondere se exonerarent, ecce *bucephalus* noster, latronibus posterioribus pedibus consalutatis, velocissimo cursu iter dimittitur, et ad proprium stabulum mox adstat. Exclamare BERTA, ancilla, stabuli januam equo aperiens! mirari TITIVS, advena, hic casu adstans! BERTA thesaurum detegit; TITIVS illum accipit ignorans quid rei esset, et ad domum RICARDI defert. Quid vero de HORTENSIO? Ecce interea apparet iste tristissimus; sed mox evadit gaudiosus, rescians quid evenisset. Sed ecce lis magna exoritur! Quid de pecunia faciendum? Eam reclamat ancilla, quæ prior eam detexit; reclamat quoque TITIVS qui eam accepit; reclamat magis HORTENSIVS, totius rei causa, titulo compensationis, pro accepta injuria; sed reclamat maxime RICARDUS, quia hanc pecuniam ipsi attulit equus suus, innixus principio: *Res fructificat domino*. Hoc dicens RICARDUS impiger pecuniam arripit, et in proprio ærario recondit.

HINC :

QUÆR. *Quid de casu? seu cui pecunia? an ancillæ? an Titio advenæ? an HORTENSIO? an RICARDO domus domino?*

SOLUTIO :

532. — *R. ad casum.* Res difficultate non caret.

1^o Ancilla nihil reclamare potest. Etenim, respectu ejus, pecunia neque est res inventa, neque occupata, siquidem, quando saccum nummis refertum detexit, minime sciebat quid hoc esset, et num ab ipso HORTENSIO ibidem collocatus fuisset. Proinde ne cogitavit quidem de re occupanda, et sua facienda; imo nec de hoc cogitare potuit.

2^o Neque TITIVS, qui pecuniam e stabulo ad domum RICARDI detulit, majori jure potitur in pecuniam, ob easdem rationes; siquidem animum eam occupandi non habuit, nec habere potuit, cum quid rei esset nesciverit. Ergo inter HORTENSIVM et RICARDUM lis tota restringenda est.

3^o HORTENSIVS neque ipse ad hoc solatium pro tanto infortunio præterdere potest. Nihil ipsi, præter summulam qua fuit spoliatus, tribuendum est. Etenim quid invenit miser? Invenit latrones, et præterea nihil. Quid occupavit? Nedum quidpiam occupaverit, ipse infeliciter fuit spoliatus. Quod autem ad pecuniam spectat, res tota præter eum, et, eo inscio, peracta est. Ergo nihil ipsi retribuendum, nisi id quod antea habebat. Nec dicas eum fuisse causam rei totius, et proinde felicem sortem sicut infortunium ei cedere; nam non fuit causa, sed mera occasio hujus boni eventus: ergo in eum minime redundare debet.

533. — 4^o RICARDUS vero, domus et equi dominus, potest, ut videtur, ipse solus totam pecuniam sibi tribuere. Etenim res quæ pro derelicta habetur, fit *primi occupantis*: porro eam occupavit per equum suum; est enim effatum: *Canis suus pro Martino venatur*. Ergo et equus pro RICARDO. Occupavit etiam ipse realiter pecuniam, dum in media contentione eam sibi tribuit. Præterea ad nullum ex contententibus nummi et aurei pertinent; cum nullus illos occupaverit, nec animum occupandi primum habuerit. Ergo ipse solus restat dominus.

Dices: RICARDUS non potuit rem occupare, neque *per equum*, quia non est modus occupandi, neque *per se*, quia non potiebatur majori jure ac aliis ad occupandum; ergo pecunia pauperibus, vel causis piis eroganda est. *Respondeo*: Occupatio RICARDI videtur sufficiens, attentis omnibus circumstantiis collective sumptis. Insuper quælibet res derelicta, quæ dari potest pauperibus, etiam ab inventore sibi retineri potest. Suadendum tamen enixe foret, ut hæc pecunia in pias causas impenderetur.

NOTA. In solutione casus res supponitur vere derelicta.

Si audiretur igitur totum pecuniæ saccum alicui domino noto surreptum fuisse, et constaret ad illum pertinere, v. g. ex aliquo signo indubio, cumulus ille totus ipsi restituendus foret. Haberet enim ut res in individuo ad dominum clamans.

CASUS XVI.

DE PRÆSCRIPTIONE 1^o.

1^o DAMASUS emit bona fide scyphum argenteum a fure. Illum tribus annis inter res suas habuit; tandem vendidit. Comparet autem subinde dominus et scyphum repetit; sed DAMASUS præscriptionem ei opponit.